



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Subsect. 10. Secundum Argumentum ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

dentia provenire, non loquuntur de causis secundis, sed de Deo; hoc enim significant quando dicunt non propterea liberas actiones fieri, quia Deus eas prævidit, sed potius contra idem Deum prævidere ac præscire, quoniam illæ actiones in aliqua differentia temporis erant futuræ in qua Deus eas cernit ut præsentis.

212 Confirmatur, quoniam ad explicandam concordiam libertatis cum præscientia primæ causæ ab Augustino, Boëtio, aliisque Patribus, insuper à S. Thoma adducitur exemplum de nostra visione aut scientia, quæ præsentibus actionibus liberis nullam imponit necessitatem: ergo si suppositio est antecedens, tollet sine dubio libertatem, etiam si sit à prima causâ, & non à secunda, nam lumen gloriæ à Deo, & non à creatura infunditur, & nihilominus tollit libertatem, & indifferentiam voluntatis beati, quia est necessitas antecedentis rei ad usum libertatis: ergo quod necessitas sit à Deo vel à creatura non facit quod non tollat libertatem.

213 Alij asserunt eam solummodo necessitatem, quæ sumitur ex intrinseca connexionione prædicati cum subiecto libertatem excludere; aliam autem necessitatem, quæ non provenit ex intrinseca connexionione prædicati cum subiecto, etiam si fuerit necessitas antecedens posse cum libertate cōvenire.

214 Sed hæc solutio minime solvit argumentum, quoniam quadrupliciter potest intelligi hæc solutio, primo ita ut requiratur intrinseca connexionio inter operationem & personam, seu voluntatem operantem secundum se consideratam, præscindendo à suppositione necessitante, quomodo alter eorum Doctorum intelligere videtur, quando ait quantumcumque ponatur efficax auxilium, & prædeterminatio divina, semper actio mea est simpliciter libera, & contingens, quoniam non est intrinseca connexionio inter me & illam operationem, sed potius est in me principium intrinsecum corruptionis illius operationis.

215 Ita explicatam solutionem absolute falsam esse probatur, quoniam ex illa sequitur antecedentem necessitatem, quæ ad diligendum Deum nascitur ex visione beatæ, posse cum libertate illius dilectionis convenire; siquidem huiusmodi intrinseca connexionio non reperitur inter animam Beati Petri, & amorem beatificum, sed potius in illa sancta anima est principium intrinsecum corruptionis illius operationis, quod ex se est si præscindatur à visione beatifica.

216 Confirmatur primo, quia inde sequitur, nullam suppositionem esse possibilem, quæ asserat necessitatem absolutam alicuius volitionis, excludatque illius libertatem, quia nulla suppositio potest efficere, ut inter volitionem, & meam voluntatem sit intrinseca connexionio, si voluntas mea secundum se consideretur, præcisa tali suppositione.

217 Erit secundus sensus, si prædicta distinctio intelligatur de intrinseca connexionione inter operationem, & personam, seu voluntatem operantem, non secundum se consideratam, sed simul cum suppositione antecedente. Quomodo iam est ab intrinseco necessarium, ut anima Beati Petri ex suppositione, quod Deum clare videt, eundem perpetuo, & inseparabiliter diligit.

218 Ita intellecta solutio veram doctrinam tradit in generali, sed falso illam applicat in particulari, nam inter volitionem, & hominem viatorem propter physicam prædeterminationem affectum est necessaria connexionio ab intrinseco, quoniam intrinseca quidditas physice prædeterminationis neces-

sario infert talem volitionem ad quam determinat. Et usque adeo inseparabilis, & intrinseca est prædicta connexionio, ut etiam de potentia absoluta contradictionem implicet talem prædeterminationem existere, & non existere, volitionem ad quam determinat.

Tertius sensus talis solutionis connexionem intrinsecam volitionis non refert ad voluntatem, siue secundum se consideratam, siue prædeterminatione affectam, sed ad Deum; dicunt enim anthores citati, si Deus ab intrinseco necessario moueret voluntatem non relinqueret in illa indifferentiam, vel libertatem, quia tamen necessitas, quæ mouetur voluntas à Deo est ex suppositione, quatenus supposito, quod mouetur necessario mouetur, sit ut hæc motio nullam tollat libertatem.

Quartus sensus, quo incidit cum hoc ac proinde non est repetendus, sed solum breuitatis causa ne diutius immoremur vniuersali oppugnatione omnes solutiones in hunc modum oppugnandæ sunt, quoniam Anselmus à præscientia, voluntate, & prædeterminatione, Dei atque etiam à divina gratia relegat quamcumque necessitatem antecedentem, ne libertatem perimat: ergo siue necessitas antecedens proveniat ab intrinseco, siue ab extrinseco; si tamen vere est necessitas antecedens, semper libertatem tollit, alias scientia & prædeterminatio, quæ extrinseca sunt, etiam si necessitatem antecedentem ponerent non tollerent libertatem, quod est falsum, ut patet ex dictis; è contra vero Anselmus solum modo consequentem necessitatem admittit consilium posse cum libertate, quam definit esse, [necessitatem, quæ rei positionem non præcedat] & rursus: [quam facit voluntas & quæ descendit ex libera voluntate;] itaque sola necessitas, quæ hac ratione consequens fuerit, siue proveniat ab intrinseca connexionione prædicati cum subiecto, siue ab extrinseco potnerit provenire (quod nihil attinet ad præsens argumentum) consilium poterit cum libertate.

SUBSECTIO X.

Secundum argumentum ponitur.

Quia dilectio beatifica, licet non sit necessaria in sensu, diuiso hoc est seclusa visione beatifica & lumine gloriæ, sed tantum sit necessaria in sensu composito supposita visione beatifica, nihilominus eiusdem dilectionis necessitas est simpliciter & absolute talis, repugnans libertati: ergo licet necessitas amoris Dei proveniens à physica prædeterminatione, non sit talis in sensu diuiso, sed solum in composito, nihilominus erit necessitas simpliciter repugnans libertati; patet consequentia, quia tota ratio quare datur in dilectione beatifica necessitas simpliciter repugnans libertati, est quia beatus neque potest à se visionem beatificam abijcere, neque illa existente in intellectu suam voluntatem potest à dilectione continere: sed in nostro casu datur eadem ratio formalis, quia physice prædeterminatus, neque potest à se prædeterminationem physicam abijcere, neque illa existente in voluntate suam voluntatem potest à dilectione continere: ergo datur idem effectus, vel quasi effectus formalis, scilicet quod hæc dilectio sit necessaria simpliciter, sicut illa, quia ubi datur eadem

eadem ratio formalis &c. Nam in utroque casu dilectio provenit à necessitate antecedente.

- 222 Ratio à priori huius demonstrationis est, quia in bona consequentia si antecedens est necessarium consequens non potest esse contingens; sed omnino debet necessarium esse. Hanc ita scripsit Aristoteles lib. 1. *Posteriorum*, cap. 6. post medium text. 17. Quando autem medium ex necessitate, & conclusio ex necessitate: quemadmodum & ex veris verum semper, & post pauca, quando autem non necessaria sit conclusio, neque medium necessarium potest esse. Vnde S. Thomas 1. p. q. 14. art. 13. in argumento secundo supponit, tanquam certum, & indubitabile in quacumque materia, siue creata, siue increata quod ex principiis necessariis non sequitur conclusio nisi necessaria. Similiter S. Bonaventura, & reliqui scholastici communiter locis citatis in *disp. precedenti* sect. 6. & *sequentibus*.

- 223 Huius demonstrationem à priori attingit Aristot. illis verbis: quemadmodum, & ex veris verum semper videlicet, quia contingens potest non esse, ac proinde potest esse falsum. At vero necessarium non potest esse falsum, ac proinde si ex antecedenti necessario sequitur consequens contingens; foret possibile, ut antecedente necessario manente semper vero, consequens contingens non esse verum. Quapropter dari potuisset antecedens verum, & consequens falsum; quod repugnat quidditati consequentiae simpliciter necessariae, non minus, quam animae nostrae repugnat, esse mortalem. Quapropter in omni materia etiam divina repugnabit.

- 224 Huius demonstrationis confirmatio sumitur ex discursu Aristot. in eodem loco citato, quia nisi lex illa innolabilis sit, nullius conclusionis erit possibilis scientia certa. Nam licet praemissae fuerint evidentissimae, & certissimae, & consequentia evidentissima; debitor tamen poterimus, an consequens possit esse falsum; si consequens contingens potest inferri ex antecedenti necessario.

- 225 Ex eisdem principiis deducitur impossibilem esse consequentiam simpliciter necessariam, cuius antecedens nullo modo pendet à tua libera electione, & nihilominus consequens sit tibi liberum & à tua electione dependens. Nam huiusmodi consequens eo ipso non erit necessarium, sed contingens comparatione tui arbitrij, quod poterit facere, ut non sit consequens, ac proinde poterit reddere consequens falsum: & nihilominus antecedens permanebit adhuc verum; quia eius veritas nullo modo pendet à tua libera electione, quapropter dabitur antecedens verum, & consequens falsum.

- 226 Confirmatur, quia si tua libera electione redderes falsum praedicatum consequens; inde necessario sequeretur vnum à duobus, aut enim antecedens etiam redderetur falsum; & tunc antecedens penderet à tua libera electione, siquidem in tuo arbitrio est illud reddere, vel non reddere falsum: cuius contrarium supponitur in casum, quem tractamus; aut permaneret adhuc antecedens verum, & nunc darentur simul antecedens verum, & consequens falsum; quapropter si antecedens non pendet à libero arbitrio, nihil potest libertas circa consequens, ne committat vnum ex duobus impassibilibus nuper explicatis.

- 227 Hæc ad physicam prædeterminationem applicare promptum est; quoniam physica prædeterminatio est antecedens nullo modo dependens à

tua libera electione *sup. num. 2. & 3.* & tamen per consequentiam simpliciter necessariam inferre volitio, ad quam determinat, ita ut simpliciter impossibile sit manente isto antecedente, non existere illud consequens; ergo istud consequens nullo modo dependet à tuo libero arbitrio; nam si dependet, atque in tua potestate positum est consequens, videlicet volitio potens efficere ut non sit, ac proinde ut consequens sit falsum, & nihilominus antecedens permanebit verum, manet namque physica prædeterminatio, quam auferre non est in tua potestate, quapropter S. Thomas 1. part. *quest. 14. art. 13.* multo fusius quam pro more dilucienti solutiones varias, ad eam tandem recurrit, in qua divina scientia supponit necessitatem liberi ex suppositione quod iam sit existens, & præiens, ut ea ratione volitio libera provet est formaliter consequens necessario illatum ex divina scientia sit necessarium, sicut antecedens est necessarium, in qua veritate conveniunt cæteri scholastici.

Dices maximum discrimen reperi inter physicam prædeterminationem in ordine ad distinctionem viæ, & inter visionem beatificam in ordine ad dilectionem patriæ, quoniam beatus fertur in Deum medio iudicio, quo intellectus indicat summum illud bonum habere necessariam connexionem cum bono in communi, ad quod naturaliter determinatur voluntas, ac per consequens esse necessario amandum. Vnde voluntas videns Deum per essentiam, ex necessitate diligit illum, & non libere. Addunt primo in statu beatifico expletam manere totam capacitatem intellectus naturalis naturæ. Vnde non solum non habet actum contrarium visioni aut dilectioni beatificæ; sed nec etiam poterit illum habere: sicut materia cæli non solum non habet aliam formam ab ea, quam actu habet; sed neque potest illam habere; quia per formam, quam habet expletur tota capacitas illius. Addunt secundo in voluntatem beati respectu amoris Dei non manere libertatis indifferenciam quoniam eius radix est intellectus, potest habere diversas conceptiones boni; at vero intellectus videns Deum non potest concipere ut bonum, cessare à dilectione Dei.

Has alias disparitates inter amorem beatificum & quascunque volitiones hominis viatoris reperire promptum est, cæterum vim argumenti non enervant quia non auferunt formalem; & adæquatam rationem exclusivam libertatis: sicut enim libertas formaliter, & adæquate consistit in eo, quod voluntas, positis omnibus requisitis ad operandum, possit operari, & non operari, ut ex communi sententia Philosophorum, & scholasticorum ostendimus *disp. 39.* & multis sequentibus, & *disp. 49.* præsertim vero *disp. 50. sect. 3. & 4.* ita etiam formalis, & adæquata ratio exclusivæ libertatis consistit in eo, quod impediatur ne voluntas, positis omnibus requisitis ad operandum, possit operari, & non operari: eo quod faciat, ut actualiter operari simpliciter necessarium sit: vnde actualiter non operari absolute sit impossibile.

Sed quamvis hæc sit ratio à priori, vtiliter tamen vigetur exemplis nuper adductis, ut ostendatur in presenti controversia non satisfacere sensum compositum; si quidem in visione beatifica, & in alijs exemplis necessitas non est in sensu diviso, sed in sensu composito: cum tamen absoluta sit & libertati repugnans, idque propter hanc rationem

rationem formalem, quoniam efficit ut voluntas non possit agere, & non agere, sed necessario determinat ad agendum. Quod propterea praestat, quia voluntas nec potest subducere à visione beatifica, nec in sensu composito cum illa potest actionem omittere. Quae rationes formales, & adaequatae verificantur in physica praedeterminatione.

231 Respondent alij rationem discriminis esse, quoniam ex intrinseca connexionione inter lumen gloriae, visionem Dei, & dilectionem provenit illa necessitas. Sed refutantur, quoniam inter physicam praedeterminationem, & volitionem ad quam determinat, est connexio ita illarum quidditati intrinseca, ut neque de potentia absoluta possit impediri, ut fufius dicemus in sect. 3.

232 Confirmatur primo, quoniam physica praedeterminatio aufert possibilitatem alterius formae, & inducit necessitatem unius, perinde ac si satia- ret appetitum voluntatis: ergo quod attinet ad libertatem huius actionis excludendam, perinde se habet, atque visio beatifica satians appetitum beati: sicut humores noxii, aut quodlibet aliud impedimentum stomachi, si omnino reddunt impossibile quemlibet alium cibum trahere praeter hunc determinatum, perinde se habet capacitas stomachi, ac si talis cibus plene satiarer appetitum stomachi.

233 Confirmatur secundo, nam absolute falsum est, quod postremo additur in praedicta solutione, quoniam Beati etiam in Deo per visionem beatificam, & per scientiam insulam perfectissime cognoscunt quamlibet rationem apparentis boni, quae mouere potuit angelos, aut homines, ut diuina praecepta violando, deponerent illius amorem. Quapropter Beatis non deficit cognitio, ex se sufficiens ad libertatem, sed adest alia cognitio antecedenti necessitate rapiens.

234 Confirmatur tertio, quia quando voluntas ita determinatur ad vnā partem, ut sit impossibile actualiter se mouere in contrariam partem; tunc iudicium, quo intellectus iudicat bonum particulare non habere necessariam connexionem cum bono in communi, sed in opposito illius reperiri aliquas rationes boni, hoc inquam iudicium in eo casu nihil concurret, aut influit ad potestatem sequendi eam partem quam actualiter sequi est impossibile, ut ostendimus, disp. 52. sect. 3. & 4.

235 Confirmatur quarto ex verbis S. Thomae de malo, quaest. 6. artic. unico in fine corporis. Secundum philosophum, qualis vnusquisque est talis finis videtur ei vnde aliter mouetur ad aliquid voluntas irati, & voluntas quieti, quia non idem est conueniens vrique, sicut etiam aliter accipitur cibus a sano, & aegro. Si ergo dispositio per quam alicui videtur aliquid bonum, & conueniens, fuerit naturalis, & non subiaccens voluntati ex necessitate naturali; voluntas praeligit illud sicut omnes homines naturaliter desiderant esse, viuere, & intelligere.

236 Hic nota primò naturale accipi, non ut opponitur supernaturali; sed ut opponitur libero, cui propterea subiungitur illa explicatio, non subiaccens voluntati. Secundò notanda est significatio illius phrasos, videtur bonum, ne-
I. P. Tom. II.

que enim significat iudicium intellectus, sed complacentiam voluntatis: hoc enim loquendi modo non solum Scriptura, & Patres; sed etiam docti omnes & indocti asserunt sibi non videri bonum, quod suae voluntati non placeat, quamvis iudicium intellectus dicat esse bonum. Confirmatur, nam S. Thom. agit de peccato ex passione, ut constat ex ipsis verbis citatis; hoc autem peccatum ex passione supponere in intellectu cognitionem malitiae saltem in communi idem D. Thom. docet 1. 2. q. 77. art. 2. & nos ibi fufius.

Quibus suppositis arguitur accipiendo quasi maiorem propositionem, quam ex D. Thom. nuper retulimus, & addendo minorem, & conclusionem sic: Physica praedeterminatio est dispositio per quam alicui videtur aliquid bonum, & conueniens insuper est naturalis, & non subiaccens voluntati: ergo ex necessitate naturali voluntas praeligit illud, quod sibi propter physicam determinationem placeat.

Præcipue, quia hæc est ratio adaequata formaliter excludens libertatem, cum quotiescumque ponitur hæc ratio formalis excludatur libertas, ut constat ex verbis nuper adductis, & quotiescumque deficit hæc ratio formalis, consequenter libertas deficit, ut constat ex verbis, quæ S. Thomas continuo subiicit: [Si autem sit talis dispositio, quæ non sit naturalis, sed subiaccens voluntati, puta cum aliquid disponitur per habitum, vel passionem ad hoc, quod sibi videatur aliquid vel bonum, vel malum in hoc particulari; non ex necessitate mouetur voluntas, quia poterit hanc dispositionem remouere, ut sibi non videatur aliquid sic, ut scilicet cum aliquis quierat in se iram ut non iudicet, sed aliquo tanquam iratus.]

Alij alij asserunt antecedentem necessitatem physica praedeterminatione inductam non repugnare libertati, etiam si actualiter illi non consentire sit in sensu composito impossibile, rationem autem esse dicunt eius auctores, quoniam praedeterminatio physica non tollit cognitionem indifferentiae mediorum, quapropter eo ipso voluntatem mouet suauiter, & conformiter ad suam naturam; vnde inferunt Deum per illa eodem modo voluntatem nostram determinare, ut libere operetur, sicut ipsa voluntas se determinat ad libere operandum.

Sed contra, quia hæc solutio non enervat argumentum, quia supponendo praedictam cognitionem plurima testimonia sacrae Scripturae, Consiliorum, & Sanctorum Patrum ad libertatem ulterius requirunt potestatem dissentendi in eo, qui consentit, & potestatem consentendi in eo, qui dissentit, insuper requirunt hanc potestatem nullius necessitatis vinculo ligari, aut determinari ad vnā partem, quia etiam si ex parte intellectus detur indifferentia, si voluntas est ligata & determinata, talis indifferentia se habet, quasi non esset ad libertatem, & indifferentiam voluntatis, sicut si aliquis qui manibus, & pedibus ligatus esset, ac proinde determinatus, ut non moueretur, etiam si cognosceret in spatio plures vias, per quas posset se mouere, nihilominus talis indifferentia, & indeterminatio plurimum locorum, & viarum nullo modo con-
M M m duceret

duceret ad indifferentiam mouendi se hac, & illac quia talis cognitio, si haberet quasi non esset, ex eo quod potentia motiva esset determinata ad carentiam motus; ergo pari modo cognoscere rationes indifferentes boni, & mali in vtraque parte contradictionis, non sufficit ad libertatem voluntatis; si aliunde ipsa voluntas necessitatis vinculo determinetur ad vnam partem; ita ut fuerit impossibile actualiter dissentire motioni illi primae causae, cui de facto consentit, & similiter fecerit impossibile consentire illi motioni, cui de facto dissentit ex suppositione quod tales motiones datae fuerint, & non alia ratio à priori est, quia omnes rationes quibus supra persuasimus, antecedentem necessitatem esse directe contrariam libertati, eadem omnes vni suam integram retinent, etiam si supponatur intellectum recte cognoscere rationes ex se sufficientes, ut voluntas amplectatur vtramque partem contradictionis. Quapropter etiam hac cognitione supposita, si aliunde necessitas antecedens voluntatem ad vnam partem determinat, eo ipso libertatis usus est impossibilis. Peculiariter vero recolenda est, & huic conclusioni applicanda illa primaria ratio, quoniam nec potest voluntas repellere à se necessitatem antecedentem, neque potest illa necessitas suppositis, non agere ac proinde absolute non potest non agere id quod agit per antecedentem necessitatem. Quae ratio nihil profus enervatur, etiam si supponatur ex parte intellectus, quaecumque cognitio dictans rationes vtriusque partis, dummodo ex illa non sequatur potestas abijcendi necessitatem, vel illi resistendi.

240 Probatur, quoniam in Christo Domino, Beatissima Virgine, ceterisque confirmatis in gratia, tam in patria quam in via indubitabilis erat cognitio intellectus ostendens rationes boni veri, vel apparentis, quaecumque possent excogitari in obiecto suarum volitionum, nihilominus hac veritate praesupposita, & nunquam indubium vocata Doctores Scholastici communiter in Christo D. ceterisque sanctissimis personis varias vias, & rationes excogitarunt, ut retineant potestatem vtriusque partis, exclusa necessitate qualibet, quae antecederet determinaret ad eorum actiones meritorias: ergo supponebant non satis facere libertati praedictam cognitionis indifferentiam, nisi etiam ex parte voluntatis seruetur indifferentia vtriusque partis electiva sine ullo vinculo necessitatis.

241 Deinde quia quidditas libertatis postulat positum omnibus praerequisitis ad operandum, posse operari, & non operari: sed vnum ex praerequisitis ad libere operandum, est cognoscere aliquam rationem boni, quae ad operandum inuitet: similiterque ut libere omitatur eadem operatio, praerequiruntur cognoscere aliquam rationem boni, quae ab operatione reuocet animam, & inuitet ad non operandum: ergo libertas vtrumque simul postulat, ex quibus primum praerequisitum ex parte intellectus est, cognoscere duas saltem rationes boni, alteram quae inuitet ad operandum, alteram quae inuitet ad non operandum; secundum vero praerequisitum ex parte voluntatis, eiusque libertatem constituens, est, praedicta cognitione posita, & ceteris omnibus praerequisitis adhuc nulla necessitate impediri quominus possit operari, & possit etiam non operari. Quam rationem confir-

mant omnia, quae dicta sunt in *disputatione* 50. *secunda*, & *sequentibus*.

Confirmatur, quia quamuis radicalis, & primaria libertas in eo consistat formaliter quod voluntas ex natura sua sit potens eligere alteram partem contradictionis ex his, quas intellectus proposuerit, proptereaque inter conditiones requisitas ad usum libertatis, vna ex praecipuis conditio sit intellectio proponens bonum, ostendensque rationes pro vtraque parte contradictionis, nihilominus haec omnia non sufficiunt ad libertatis usum, si aliunde conijcitur voluntas in vincula necessitatis antecedentis, provenientis ex praedeterminatione physica: sicut manum esse sanam, & integram, nec non cerebrum, & cor, à quibus mouenda est perfecta sanitate gaudere, non sufficit, ut expediat manum moueas, si à potentiori agente constringeris vinculis ne moueas manum, nisi propius mouerit potentius agens.

SUBSECTIO XI.

Aliud argumentum ponitur.

Nam supposita vestra sententia, non solum sequitur voluntatem creatam habere ligatam & impeditam formalem libertatem, ratione physicae praedeterminationis, eo modo quo beati habent impeditam, ratione visionis beatificae, sed quod magis est, neque radicalem libertatem habere, quod sic probatur: quia illa potentia, quae in nullo statu habet plenam indifferentiam ad vtrumlibet, sed semper est determinata, non solum non habet libertatem formalem, sed neque radicalem, ut videre est in potentia visiva, quae quia in omni statu illi connaturali est determinata ad non videndum, quando deficiunt requisita ad videndum; ad videndum quando habet omnia requisita ad visionem, quia tunc non potest suspendere visionem, sed necessario videt, non solum non habet formalem libertatem, sed neque radicalem.

Tunc sic, potentia volitiva, supposita vestra sententia, semper & in quocumque statu sibi connaturali est determinata, siue ad non operandum, siue ad operandum, quia voluntas solum in duplici statu potest reperiri & considerari, nimirum in statu sensus diuini, in quo est diuisa, & separata à physica praedeterminatione, quando non habet illam, & in hoc statu est determinata ad non operandum, quia sine physica praedeterminatione nullo modo potest operari, quia physica praedeterminatio est omnino necessaria ad operandum; unde in hoc statu nullo modo habet indifferentiam sed potius oppositum illius, videlicet determinationem ad carentiam actus.

Item in alio statu potest voluntas existere connaturaliter, scilicet in statu in quo habet physicam, praedeterminationem, & in hoc statu, est etiam determinata ad operandum, quia physica praedeterminatio ex eo, quod sit determinatio vnita voluntati, redit ipsam determinatam ad operandum, quod propter supposita physica praedeterminationem non